## M0010659: Page from Leeuwenhoek: Arcana naturae, 1695

## **Publication/Creation**

31 May 1948

## **Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/dernkf9s

## License and attribution

Wellcome Library; GB.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



cum admiratione vidi dictæ illi materiæ inesse multa exigua admodum animalcula, jucundissimo modo se moventia. Maximum genus simile erat Fig. A. hæc maximum & celerrimum habebant motum, ac per aquam aut salivam ferebantur, more piscis lupi per aquam; hæc etiam passim exiguo erant numero. Secundum genus simile erat Fig. B. hæc sæpe turbinis in modum circumagebantur, ac aliquando instituebant cursum, ut in C. & D. ostenditur; hæc majori erant numero. Tertii generis figuram dignoscere non potui, nam aliquando videbantur esse figuræ rotundæ oblongæ, aliquando perfecte rotundæ; hæc adeo erant exigua, ut majora non apparerent, quam Fig. E. ac præterea tam celeriter progrediebantur, ut per se invicem ferrentur, æque ac si magnum, culicum aut muscarum per se invicem volitantium, numerum videremus. Hæc mihi quidem apparuerunt, adeo ut putarem, me videre quædam millia in aliqua aquæ parte vel salivæ cum supradicta materia permixtæ; quæ aliquo arenæ grano non erat major; & si ibi essent partes novem aquæ vel salivæ, una vero materiæ, quam ex dentibus sive molaribus detraxeram. Porro constabat præcipua pars materiæ ex extraordinaria striarum multitudine; quarum unæ ab aliis longitudine plurimum differentes, unius tamen ejusdemque erant crassitiei, aliæ incurvatæ, aliæ rectæ, ut in hac Fig. F. quæ inordinate jacebant atque inter semet ipsas implicatæ & quia antehac animalcula eandem habentia figuram vidi in aqua viventia, idcirco omni molimine contendi, ut observarem, utrum in illis esset vita: sed nullum motum, quam minimum alicui vitæ consentaneum, potui animadvertere.

Cepi quoque salivam ex binarum sæminarum ore, quas quotiedie os suum colluere, mihi constat; hanc autem, quantum pote, accurate observavi, sed nec in ea animalcula agnoscere potui: postea eam immiscui materiæ, acu etiam ex dentibus earum exemtæ, atque tum in ea etiam tot animalcula